

3812

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
OSSIBVS SESAMOIDEIS

QVAM
INDVLTV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

IO. FRIDERICO CRELLIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ANATOMIAE
PHYSIOLOGIAE ET PHARMACIAE P.P.O. ACAD. IMPER. NAT.
CVR. MEMBRO ET ORDINIS MEDICI H.T. DECANO
SPECTATISSIMO

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO
PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXX. DEC. A. MDCCXXXVI.

IN IVLEO MAIORI

FLACIDAE ERVDITORVM DISQVIGATIONI SVBMITTEX

SAMUEL PAUER

PISONIO - HVNGARVS

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Anat.
B.

36/8

Dis-anat 98

OPUSCULO DE
OSIBVS RESAMONIBVS

INDICE
DE
OPUSCULO DE OSIBVS RESAMONIBVS

IO. FRIEDRICO CRISTO

PROGR. IN MEDICINA
PUB. IN ACADEMIA CAROLINA
PRAGAE

PROGR. IN MEDICINA
PUB. IN ACADEMIA CAROLINA
PRAGAE

IN ACADEMIA CAROLINA
PRAGAE

IN ACADEMIA CAROLINA
PRAGAE



PROOEMIUM.



uo magis ad explicandas humani corporis functiones necessaria est curatior omnium partium, e quibus artificiosissima illius machina composita est, structuræ cognitio, eo magis omnino votis omnibus exoptandum erat, ut exactam singularum historiam, cui fidem vndique sine erroris metu adhibere possis, in scriptis Anatomicorum deprehenderemus. Etsi vero post iacta ab antiquioribus iamdum Medicis fundamenta, post tot sequentium temporum lucubrationes, atque multoties iteratas ipsis in cadaueribus disquisitiones proximis potissimum seculis magno consensu felicique successu institutas, ad eum certitudinis gradum eue-

Et videatur Anatome, ut votorum suorum damnati in his acquiescere posse multi sibi persuadeant: facile tamen, qui debita attentione singula circumspiciunt, multa adhuc dubia minusque expedita, curisque demum posterioribus extricanda restare, nobiscum fatebuntur. Varias horum dissensuum causas suspicari licet; alii enim, quæ in brutorum corporibus inuenerant, sine sollicita cum humano collatione ad illud nimis præcipitanter transferebant, & quæ eadem futura temere coniecerant, pro talibus audacter venditabant: alii, quæ semel forte iterumque deprehenderant, naturæ lusui causisque singularibus tribuenda, pro consuetis imo perpetuis describebant; alii, quæ in singulis fere corporibus diuersa reperiri solent, dum ad certam aliquam normam reducere irritò conatu studebant, tanto magis illa incerta efficiebant: sicque, dum a simplici fideque obseruationum enarratione recedentes suo ex ingenio aliquid addebant, alios ad conuellenda illorum placita, archetypo minus respondentia, cogebant, quibus, si semel tradita, defendendi ardor, partiumque studium se admiscebat, omnia tanto magis perturbata reddebantur. Ut adeo mirandum non sit, quod sæpius, quo plures inter se auctores in controuersis eiusmodi partium descriptionibus, consulueris, eo magis inde, cuiam assentiendum sit, dubius reddaris. Non difficile foret, pluribus hæcenus adserta exemplis ex toto anatomies ambitu petitis confirmare, nisi cuius recentiorum etiam Anatomicorum scripta euoluenti illa satis copiosa apparitura consideremus. Illustre inter alia exemplum
ex-

exhibere semper mihi visa sunt OSSA SESAMOIDEA, quæ a GALENO iam tum multis manuum pedumque articulis velut auctaria securitatis gratia circumposita: L. II. *de usu partium* C. 12. memorantur: quo indicio alii commoti non tam ex autopsia, quam ex supposita necessitate, ad omnes fere digitorum articulos talia, reperiri finxerunt, sicque numerum in immensum auxerunt: quæ tamen cum facile e cadaveribus confutari possent, ille ad exiguum nimis ab aliis iterum reductus est. Prout enim fortuna in subiectis eam ob causam lustratis plura paucioraue exhibuit, sic fere numerus illorum definitus, neque tamen ratio insignis illius, quæ reapse hic obtinet, diuersitatis indagata & pro dignitate declarata est. Non incongruum itaque, scriptionis Academicæ argumentum fore credidimus, si potiora de OSSIBVS SESAMOIDEIS momenta ad examen reuocare, diuersas autorum sententias, quantum fieri possit, conciliare, aut rationes, cur ad maiorem certitudinem peruenire non liceat, ob oculos ponere studeamus. Quod si hi forte conatus nostri non omni ex parte eruditorum desideriis satisficient, facilem tamen ab æquis lectoribus veniam speramus, si in re adeo ob perpetuum autorum dissensum perplexa coniecturas non omni probabilitate destitutas adduxerimus, quæ vberiore aliis meditandi occasionem præbere, poterunt, vt demum, quid de his ossibus eorumque usu & necessitate tenendum sit, discernere valeamus.

§. I.

Cur ossa
sesamoi-
dea di-
cantur?

Nomen SESAMOIDEORVM officulis nostris a sesami leguminis minuti specie impositum fuisse e GALENO L. II. de usu partium c. 12. discimus, illudque nomen sequentes Anatomes scriptores merito retinuerunt; siquidem eæ voces, quæ simul rei designandæ ideam aliquam exhibent, ad faciliorem illius cognitionem non parum conferunt, dummodo cum rebus satis notis comparatio illa facta fuerit, atque *εἶδος* illud siue forma, quam referre dicuntur in oculos facile incurrat. Quæ denominandi ratio tum potissimum multum commodi afferre videtur, quando rerum pluribus inter se notis conuenientium, quibusdam vero discrepantium copia obruimur, quarum veluti affinitatem commode sic indicare possumus: vnde apud Botanicos frequentia eiusmodi nomina in oides adhibita videmus, vti exemplo Ascyroidis ab Ascyro, Daphnoidis a Daphne, Marathroidis a Marathro, Ocymoidis ab Ocymo, Polygonoidis a Polygono, Sesamoidis a Sesamo dictorum, plurimumque aliorum constat, quæ propterea non temere mutanda aut rejicienda, censemus. Sesamum vero antiquis admodum ob vulgatum illius usum cognitum fuisse, vel exinde colligimus, quod exactam illius descriptionem dare antiquissimi materiæ medicæ scriptores neglexerint; quo ipso vero, vti in pluribus aliis veterum remediis contigisse merito dolemus, factum est, vt antiquato postea illius usu, quænam proprie fuerit planta, qualisue seminis figura pro certo affirmare nequeamus, imo forte inuerso
iam

iam ordine ex offium sesamoideorum figura ad illam
sesami feminis concludere debeamus.

§. II.

Non ingratum fore Lectoribus historiae naturalis
amatoribus speramus, si, quae hac occasione de sesa-
mo atque sesamoide apud veteres scriptores depre-
hendimus, paucis subjungemus. Antiquissimus
medicinae parens HIPPOCRATES sesamoidis jam tum
mentionem libello *περι ἐλλεβορισμου* sub finem injicit,
atque sesamoides sursum purgare, dosin vero ejus
esse drachmam dimidiam in aceto mulso tritam, at-
que tertiam quoque ejus partem helleboris misceri,
& sic minus suffocare monet. CELSVS vero, lati-
nus ille HIPPOCRATES I. IV. C. II. vbi de hepaticis
agit, inter plures herbas neruinas & discutientes se-
samum etiam commendat; dum *utilia* dicit, *in hoc*
morbo sunt thymum, satureja, byssopum, nepeta, ama-
racum, sesamum, lauri bacca, pini flos, herba sangui-
nalis, mentha, ex malo cotoneo medium. Neu-
ter tamen horum aliquas notas, vnde illud co-
gnosci possit, subiicit, de vsu plantarum aliunde co-
gnitarum tantum commendando sollicitus. Tanto
vero certiora in DIOSCORIDENOS reperturos spera-
bamus, ex instituto de materia medica tradente, qui
L. II. c. 90. sesami quidem virtutes & noxas satis co-
piose describit, at, dum de caractere illius ne ver-
bulum quidem addit, spem nostram destituit. Vbi
vero de sesamoide utroque maiore & minore L. IV.
c. 147. & 148. agit, maiorem paulo in descriptione
industriam adhibet, atque in primis rationem no-
mi-

*De sesamo
& sesamo-
ide plan-
tis anti-
quorum.*

minis a feminis similitudine deductam disertis verbis docet, dum in maiore σπέρμα ὁμοιον σησάμω, in minore σπέρμα σησάμω εἰκόσ, reperiri scribit, at vero obscura feminis sesami notione relicta his parum proficimus. PLINIVS equidem in historia naturalis lib. XVIII. cap. 7. quo de frugum generibus & natura tradit, paulo distinctiores, sesami, aut vti vocat sesamæ quasdam notas exhibet; dum sesamam in culmum ferulaceum fastigiari, fructum eius vasculis contineri, & cap. 10. colorem sesamæ candidum esse tradit, de figura autem eius filet: libro vero XXIII. c. 25. dum sesamæ virtutes describit, sesamoidis etiam meminit, quæ a similitudine nomen acceperit: verum enim vero hæc omnia ad accuratam de tota planta, atque semine eius ideam formandam adeo non sufficiunt, vt quænam proprie planta fuerit, quam sesamum, vt & quam sesamoides dixerunt veteres, ex illis erui nequeat, meritoque de eo dubitetur, vtrum quas recentiores botanici sub his nominibus designant plantæ, eadem sint, quas antiqui de his scribentes in mente habuerunt.

§. III.

De Sesamo & sesamoidis plantis recentiorum

Tempore enim renascentium litterarum, quo Botanices etiam studium maiori ardore excoli cœpit, Sesami etiam nomine iterum plantæ quoddam vasculiferæ genus flore monopetalo instructum notari cœpit. Celebris sui temporis Botanicus PROSPER ALPINVS, qui ad plantas noscendas 1580. Ægyptum petiit, in libro, huius itineris fructu, *de plantis Ægypti*, qui 1592. in 4to Venetiis prodiit cap. 32. sesami, quod
ibi-

DE OSSIBVS SESAMOIDEIS.

ibidem frequentissime colatur, & una cum oleo inde parato usurpetur, non solum aptam satis descriptionem dedit, verum etiam flores & vasculum seminale, quod filiquam quadricostatam vocat, quamvis paulo rudiori minerva delineavit, ita ut flos & fructus inde non satis distincte perspicui possint: semina vero, quæ flava & lini similia in descriptione dicit, in figura prorsus omisit. IOACH. CAMERARIUS in Iconibus ad hortum suum medicum spectantibus Tab. 44. Sesamum ad plantam ficcam a cel. RAVWOLFIO communicatam pariter delineavit, in qua præter florem integrum, ad digitalem multum accedentem, etiam florem discissum & apertum, ut stamina intus latentia in conspectum veniant, capsulam seminalem secundum longitudinem fissam, semina quoque subrotunda ac subovata omnium primus exhibuit: nam laudata ALPINI figura quadrienio serius demum lucem publicam aspexit. Diu post illas in IO. BAVHINI Hist. Plantar. T. II. p. 896. Sesami quoque figura extat, quæ ab ALPINI figura diversissima, cum CAMERARII vero modo indicata ita convenit, ut fere tantum inversa sit, folia vero inferiora, quæ in prioribus trifoliata & ferrata apparent, in hac prorsus omissa sint. Longe prioribus præstantiorem Sesami figuram Celeb. quondam Lipsiensium Botanicus A. Q. RIVINVS, in splendido suo opere de *plantis monopetalis irregularibus*, mihi Tab: 114. figuram exhibet: in qua non solum florem speciosum monopetalon ringentem, & capsulam seminalem quadrangulam & quadrilocularem, quæ ratione capsulæ,

B

per

per medium dissectæ, loculamenta interius ordinata
sint, nitide expressa videmus, sed & semina subrotun-
da sive ovata adiiciuntur, quæ propius cum figura
officulorum sesamoideorum minorum congruere vi-
dentur; etsi ipse cel. vir in descriptione p. 21. decer-
nere nolit, an, id quod exhibet, pro genuino vete-
rum sesamo habendum sit, nec ne. Ceterum meri-
to cel. IO. BURMANNVS in *Thesauro suo Zeylanico* p.
87. hanc RIVINI figuram elegantem vocat, nihil-
que circa illam monet: atque cl. LINNAEI descri-
ptio Sesami, in *Corollario generum plantarum* p. II.
extans, pariter Rivinianæ figuræ, in plerisque respon-
det: attamen ultimo hanc observationem subjicit,
quod *flos sit digitalis, sed fructus diversissimus*. Verum
an flos sesami, qualem RIVINVS pingit, cum flore
amplissimo digitalium vulgarium multum similitu-
dinis habeat, atque ita pateat, ut digitus commode
in illum immitti queat, dum flos sesami circa fauces
angustus, atque a lacinia inferiori fere clausus apparet,
merito dubitaverim, atque sic etiam flores hos pro di-
versis habendos crediderim. Multo minus vero cum
TOURNEFORTIO, ob aliquam floris convenientiam
cum digitali, ad eius species referenda videtur, sed
singulare omnino sesami genus, ob capsulæ semina-
lis ipsorumque seminum differentiam, cum digitalis
ad biloculares, hoc ad quadriloculares pertineat, reti-
nendum videtur. De Sesamoide recentiorum, quod
genus TOURNEFORTIVS in *Institut. Rei herbariæ* p.
424. constituit, plura addere eo magis supersedeo,
quod ex subiicienda hic eius descriptione, statim ap-
pareat, prorsus ab illo veterum illud discrepare. Nun-
cupat

cupat Sesamoiden plantæ genus flore Reseda polypetalo anomalo, fructu multiciplici; cum aliis polyceratos, in singulis corniculis semine turgescat reniformi; aliis multicapsularis, & stellatus sit. Semina autem reniformia, quantum conicere licet, satis ab illo sesamoides veterum hoc discrepare indicant.

§. IV.

Sed misso iam ulteriori seminum, unde nomina sua acceperunt, scrutinio, ipsa potius OSSA SESAMOIDEA curatius indagare iuuabit. Sunt vero ossa ^{Offium sesamoideorum descriptio.} parva, in corporibus aduulorum, maxime senescentium, conspicua, aliis ossibus apposita, pro quorum diversa conformatione magnitudo & figura illorum variat. Si ea tantum ossa, quæ GALENVS, & qui illum, ad VESALIVM usque, secuti sunt Anatomici, ad sesamoidea retulerunt, sub definitione comprehendere voluissimus, specialius illa articulis digitorum manus pedisque apposita definire licuisset, quæ propterea cel. HALLERVS in Vol. III. Commentarii in BOERHAAVII Institutiones Medicas p. 473. not. aa. vera ossa sesamoidea appellanda & a reliquis separanda censet. Sed cum alia etiam, quæ extra articulos ossium sita sunt, ceteris vero phænomenis cum his satis conveniunt, a recentioribus detecta, illorumque classi adscripta sint, ne illa hinc excluderentur, generalem hic solum eorum notionem dare, specialem vero cuiusque situm in singulorum recensione subiungere placuit.

§. V.

*Situs ossium horum circa articulos ob-
viorum.*

Quantum itaque ad illa ossa sesamoidea, quæ circa articulos ossium manus pedisque reperiuntur, attinet, illa in parte horum interiore collocantur, tendinibus musculorum iisdem insertorum inhærent, atque a ligamento capsulari articulum ambiente includuntur, ac in sede sua firmantur; quibus adminiculis inferiori phalangæ parti annectuntur, indeque descendunt, eorumque figuræ se accommodant. Si duo officula sesamoidea circa unum articulum occurrant, ad utrumque latus alligata aliquo a se intervallo distant, per quod tendines ad superiora excurrentes medii transeunt, si vero unicum tantum fuerit, mediam articuli sedem plerumque tenet, interdum tamen ad hoc vel illud latus magis vergit. *RO. GORAEVS in definitionibus medicis f. 299. b. quidem asserit, in manu sæpe etiam foris sive in superiore phalangerum facie ossa Sesamoidea inserti, tendinibusque implexa hæere, minora tamen & magis cartilaginea, præ internis. Cum quo fere consentit ANDREAS LAURENTIVS, in Hist. Anatom. corp. hum. L. II. c. 38. dum hæc officula & in manu interna, & externa se deprehendisse memorat, sed in interna multo plura; in externa pauciora, minora & minus dura agnoscit. Verum pauciores alios illis suffragantes invenimus, neque autopsia vera hic ossa sæpius reperiri confirmat, ut potius inter rariores observationes referendum videatur, si subinde unum alterumve his analogum occurrisse narretur. Talium*
men-

mentionem Cl. IO. AD. KVL MV S, in *Miscell. Medico Phys. Vratisl. A.* 1720. p. 328. iniicit; „præter nota, „scribens, ossa sesamoidea articulis digitorum ma- „nus pedisque substrata, inter primam & secun- „dam phalangam pollicis, ut & inter primum os „metatarsi & primam pollicis pedis phalangam, su- „periori loco incubuisse vidi officulum sesaminum, „exacte figuram patellæ referens, illud in pollice „manus magnitudinem nuclei ceraforum præ se „fert, hoc vero in pede pisum minus solum æquat. „Biennio vero post in alio cadavere se in quovis polli- „ce pedis bina in exteriori articulo reperisse, cit. *Miscell. A.* 1722. p. 698. observat.

§. VI.

In numero horum officulorum assignando mire variant autores, alii enim nimis multa nobis obtrudunt, quod non tam autopsia ita suadente fecisse multi videntur, quam quod ea, quæ in uno alterove articulo deprehenderunt, in reliquis omnibus simili ratione constituta esse debere, præcipiti nimis ratiocinio supponerent. Ita GORRAEVSl. c. in singularum manuum articulis decem & novem intus sita numerat, hoc ordine digesta; ut in quatuor digitis manus, intus ad articulos, primos quidem bina, alios autem singulos singula sub tendinibus incumbant, ligamentis implexa; ex articulis autem pollicis, primus quidem nullum, secundus bina, ultimus unum contineat; tot idem interna in utroque pede agnoscit. Præterea vero in manu alia quatuordecim foris affingit, singula singulis jam dictis quatuor digitorum articulis,

Quidam iusto plura illorum numerant

duo autem secundo pollicis articulo. Cum quo LAVRENTIUS l. c. pariter consentit, qui pariter novemdecim intus in quavis manu, pedeue quovis collocat, externorum vero in manu numerum certum non definit, sed generatim pauciora esse monet. His adhuc in multiplicandis his ossibus liberalior est, BIDLOO in Anatome sua, qui in explicatione T. 97. fig. 2. horum ait, *officulorum numerus, qui variat, in singulis ut plurimum digitis duodecim est; etsi enim nihil præterea addat, quoniam in loco articuli hæreant, facile tamen apparet ex mente ejus, in quovis articulo tam intus, quam extus, bina collocari debere; quod ex eodem quoque cl. MANGETTI in Theatrum suum Anatomicum in explicatione T. XXXVI. sine ulla epicrisi transtulit, merito propterea a cel MORGAGNI in Adversariorum Anat. T. II. Animadv. XXX. notatus. ANDREAS VESALIUS Anatomes suæ L. I. c. XXVIII. illa quidem in manu externa post curatius examen merito omittit, ceterum interna simili ratione collocata recenset.*

§. VII.

Alii numerum eorum varie restringunt.

Verum enim vero cum alii clarissimi Anatomici omni licet industria adhibita tot invenire non potuerint officula, merito numerum illorum tanquam constantem non esse assignandum, sed multum imminuendum esse urserunt. Hinc BARTHOL. EVSTACHIUS jamtum in Examine Ossium p. 187. edit. linden. contra intempestivam illam industriam monet, quod consultius sit, ejusmodi officulorum ad amissim nec definire numerum, nec proprium locum designare quam

quam

quam illum plus quam par sit augere, hunc vero perperam describere, siquidem in homine Sesamina officula pauca sint, magnaque ex parte cartilaginea, & si ea, quæ pollicis applicantur; exceperis, inconstanti sede firmata. IO. VESLINGIVS in *Syntagmatis Anat.* c. 17. suo tempore eorum duodecim in manibus, totidemque in pedum digitis communiter numerari refert, fere tamen pauciora esse rectissime subjungit. Recentissimi Anatomes scriptores nulla fere tanquam perpetua agnoscunt, præter bina illa, quæ in pollicibus manuum et pedum satis constanter reperiuntur: imo cl. RAVIVS in *Osteol.* sua scripta, referente cel. HEISTERO in *Compend. Anat. P. II.* not. I. p. 49. *Ceteros digitorum articulos nunquam hæc habere*, afferuit; quem tamen nimis in minuendo illorum numero præcipitem fuisse, ipsorum cadaverum inspectio, unum alterumve præter illa sæpius exhibens, evincit. Moderatius de his sentit cl. BERN. SIEGFR. ALBINVS, qui in libro de *Ossibus* §. 245. bina illa in pollice pedis accurate describit, in reliquis vero juncturis digitorum pedis raro sesamoidea adesse monet; §. 328. illa quoque bina in pollicibus manuum exponit, atque *nonnunquam iisdem in manu articulis quædam quasi sesamoidea naturam tribuisse, raro autem sequentibus articulis*, subjungit. Cl. WINSLOVIVS ossium sesamoideorum generatim quidem in ossium siccorum recensione §. 851. ad 854. meminit, atque plura circa articulos digitorum manus pedisque reperiri affirmat; ibidem vero illa in pollice pedis, tanquam maxime conspicua & in sceleto facile conservanda, tantum describit: cum vero maxime inter-

ten-

tendines & ligamenta hæreant, adeoque in recentibus tantum ossibus rite indagari queant, in Tr. de ossibus recentibus §. 233. ad 235. plura notatu digna de iis observat, de quibus infra ubi de formatione horum ossium ex instituto agemus, ulterius dicendi dabitur occasio.

§. VIII.

Quæ frequentius reperiantur.

Quæ tamen illorum frequentius reperiri soleant, scire omnino operæ pretium est, ne sicubi unum alterumve horum forte occurrat, pro novo aut insolito statim venditetur, inprimis cum inde forte conjectura fieri possit, cur his in articulis sæpius quam in aliis formentur. Hinc Illustris HEISTERVS noster, Venerandus Præsidis Socer, ob singularia in se merita summopere suspiciendus, in *Compend. Anat.* §. 180. sequentia a se deprehensa recenset; in pollicibus manuum & pedum in quolibet sæpe duo, non raro tamen, inprimis in pollice manus, tantum unicum; in facie externa ossis metacarpi, quod indicem sustentat, in tendine muscoli adductoris indicis, unum; in junctura metacarpi & digiti auricularis, in abductore illius frequentissime hærens aliud; quod etiam Tab. I. fig. 5. in situ naturali delineat, & in *Ephemeridibus N.C. cent. VI. obs. 29.* ex instituto addita figura jamtum descripsit. Cum quo pariter cl. KVLMS in *tab. anat.* p. 62. consentit, nisi quod his unum sub anteriori articulo pollicis manus adjungat. In nostro quoque Theatro Anatomico intra biennium aliquoties, in subjectis adultis & ad senium vergentibus in hæc ossa curatius inquisivimus, atque in cadavere virili robusto & toroso, mense Majo A. 1745. non solum bina illa
inter

inter primam & secundam phalangam pollicis manus, sed unum etiam inter secundam & tertiam reperimus, imo vero in pollice pedis utroque, præter notissima illa inter os metatarsi & primam phalangam, pariter unum inter primam & secundam conspicuæ magnitudinis deprehendimus, ut adeo soli pollices duodecim talia officula exhibuerint: neque vero illa in indice & auriculari digitis defuerunt, sed in utraque manu reperia fuere; plura tamen reliquis in articulis non observavimus. In aliis binis cadaveribus foemininis hyeme 1745. & 1746. dissectis non solum illa in indice & minimo digito itidem deprehendimus, quorum illud in latere ossis metacarpi, quod pollicem respicit, locatum, hoc in altero, mediam articuli sedem, prout a cel. HEISTERO delineatur, in altero exterius latus metacarpi magis occupare vidimus, sed & illa inter superiores pollicis manus phalanges in medio articuli finu hærentia denuo offendimus, in pedum vero pollicibus, etsi maiorem aliquam duritiem circa illa loca notaremus, vera tamen ossicula nondum formata erant. Vt adeo tria ossicula in pollicibus, manuum potissimum, tum & pedum non adeo infrequentia videantur: quorum etsi in Anatomie non meminerit ILL. HEISTERVS, illa tamen in cadavere A. 1735. pariter ab eodem inventa sunt, prout cum ex præparatis benevole mecum communicatis, tum ex observationibus manuscriptis, quas B. eius filius, cl. ELIAS HEISTERVS, præmaturo proh dolor fato litterato orbi ereptus, proprio studio tunc consignauerat, atque ibidem, inter plura luce digna, hæc ossicula delineaverat, cognovi.

C

§. IX.

§. IX.

Magnitudo & figura varia.

Magnitudo horum ossium pro diversitate articulo-
rum, quibus inhærent, variat: hinc cum pollex pedis
amplioribus, quam manus pollex, efformetur ossibus,
maxima sunt, quæ huic affiguntur, quorum vero
interius, notante iam tum VESALIO, l. c. dimidio
fere maius est exteriori, ac indici pedis viciniore,
cuius magnitudinem dimidiam maiusculæ pisæ cor-
tice emundatæ molem æquare censet; WINSLOVIVS
tr. de Ossibus ficcis §. 853. longitudinem circiter
quatuor linearum, latitudinem duarum assignat; etsi
hæc in singulis subiectis, pro reliquorum ossium di-
versa magnitudine, pariter discrepare videamus.
Ea quæ in pollicibus manuum inveniuntur, vix ad
dimidiam illorum magnitudinem accedunt, & a VE-
SALIO foenugræci seminis molem vix excedere
perhibentur, quibus illa, quæ in indice vidimus,
fere æqualia, quæ in auriculari, parum minora no-
tavimus; si in superioribus phalangis pollicum ali-
qua occurrunt, hæc eadem proportione, qua ipsæ os-
sium sedes angustiores sunt, decrescunt. Figura il-
lorum valde irregularis merito censenda: etsi enim
in eo fere inter se conveniant, quod inferna parte
gibba, aspera & inæqualia sint, superiore vero, ca-
pitula ossium respiciente, ad ea excipienda excava-
ta, & cartilagine polita obducta sint; alia tamen ob-
longa fere sunt, uti illa quæ in pollicibus pedum hæ-
rent, oblongis illis ossis metatarsi capitulis, quæ su-
per illa moventur, respondentia, alia magis pisiformia,
uti quæ pollicibus manuum indicique & auri-
culari annexa sunt. Inprimis in maximo illo, quod
polli-

pollicis pedis lateri interiori accumbit, illud fingulare deprehendimus, quod ex diversis frustulis veluti coagmentatum fit; uti aliqua illius coalitus vestigia, plus minusve perspicua, plerumque notare licet, in ultimo vero cadavere, quod mense octobri huius anni dissecuimus, in utroque pollice binis distinctis ossiculis, intermedia substantia cartilaginea inter se iunctis, constare vidimus, ac si pisi dissecti binæ partes sibi uno latere agglutinatae forent: Ill. etiam HEISTERVS, quod l. cit. p. 60. not. c. iam indicavit, inter sua præparata tale tribus frustis conspicuum, asservat; in quo binis maioribus in loco coniunctionis tertium lentis magnitudine a latere externo accumbit; in alio inferior portio ex binis frustis oblongis sibi a latere applicatis constare, superior etiam præ aliis tortuosa & difformis videtur.

§. X.

In assignandis horum ossium usibus admodum copiosi fuerunt Autores, siquidem, quod generatim GALENVS l. c. asseruerat, illa pluribus articulis manuum pedisque ex abundantia tanquam auctaria securitatis gratia apposita esse, illud ita plerique interpretati sunt, quod princeps illorum usus sit, ut articulos implerent stringerentque, ac sic minus luxationi obnoxios redderent. Cum vero in singulis digitorum articulis par omnino luxationis metus adesset, mirandum sane non est, quod omnibus illa, nunc solitaria, nunc bina apposita esse crediderint, siquidem, quod uni alterive articulo concesserit natura beneficium, illud reliquis denegasse non equidem

De usu sesamoidcorum Ossium autorum sententia.

dem verosimile videatur. Imo cum in manu non solum tensione extrema introrsum luxari queant digiti, sed & flexione summa foras luxari possent, simile obstaculum exterius opponendum esse censebant, hinc illa de ossibus sesamoideis exterioribus suspicio enata est. Ita certe IACOBVS SYLVIVS in acerbissimo illo scripto, quod *Vesani calumniarum depulsionem* inscripsit, 12. *calumn. depuls. ratiocinatur*, atque propterea acriter VESALIVM, contra quem totus ille liber compositus est, reprehendit, quod partim non in omnibus articulis semper illa adesse concesserit, partim externa illa prorsus omiserit: ex quo GORAEVM l. supra cit. sua deprompsisse coniiicimus, utpote qui non solum in situ illorum, sed & in usu per omnia cum illo convenit. Quia vero tendinibus musculorum hæc ossa inhærere videbant, eadem cum patella comparantes, eosdem, qui illi competunt usus, his quoque tribuerunt. Sic VESALIUS l. l. c. 28. disertis verbis docet: *Non aliunde sesaminorum ossium constitutionem promptius, quam ex patellæ fabrica petas: videntur namque hæc ossicula tendinibus immersa, innataque, ut sua duritie in quibusdam motibus impetum ossis sustineant, excipiantque, cui tendo, eiusmodi adauctus munitusque ossiculo, prætenditur. Atque cum impetum illum ossis reprimunt, una quoque in hoc ipsa conferre, quis haud immerito putaverit, ne, cui præponuntur, os facile ex sua articulatione prosiliat: adeo ut patella, utpote os sesaminis longe grandius, horum naturam scite ostendat.* Verumenimvero ad luxationem horum articulorum præcavendam a natura neutiquam destinata esse hæc ossicula, præter

pau-

paucitatem illorum, dum in plerisque articulis deficere supra ostendimus, ipse situs illorum, iudice cel. MORGAGNO *Advers. Anat. II. Animadv. 30.* indicat. Nam qui noverit, scribit vir cel. a parte articulorum interna eadem apposita inveniri, is non facile credet, idem ipsa quod patella prestare, ne ossa videlicet luxentur, propterea, quia non ut patella, ab ea parte, a qua facilius imminet luxationis periculum, apponuntur. Siquidem si in pede a subiectis corporibus durioribus luxatio metuenda fuerat, ea potissimum versus superiora expectanda erat, ubi vero nulla reperiri consentiunt; itemque in manu forte frequentius foras ob nimiam flexionem, quam quidem introrsum ob extensionem nimiam contingeret, ubi tamen pauciora & imbecilliora ac tantum cartilaginea esse ipsi fatentur, quæ vero reapse nihil aliud esse videntur, quam maiores tendinum extensorum indurationes, quod etiam VESALIUS iamtum perspexit, qui non ignoravit hanc duritiem, immerito propterea a SYLVIO reprehensus, sed veram illius naturam rectius assecutus est: uti l. II. c. 28. tradit. *Mente adhibita, qui muscoli pollicem extendentis tendo, quæ caput pedii ossis primo pollicis ossi inarticulatum superat, calli in modum indurescit, perinde ac quæ primi pollicis ossis sedem secundum os subeuntem contingit, eo namque usu, quo innumeris sane tendinibus sesamo comparata ossicula innascuntur, tendo iste cartilagineus, & in senibus pene osseus dictis nunc locis efficitur, quod etiam ceteris tam manus quam pedis digitos extendentibus tendinibus inibi quodammodo evenit, ubi ossium levem & cartilagineo obcrustatam tangunt superficiem, quæ ossibus articulatur,*

tur, quibus tendines, ut illam moveant, inseruntur. Hinc recentiores illa potissimum tendinibus, quæ in illa inseruntur, tanquam trochleas inservire, eorumque vim augere, atque nimiam illorum compressionem cavere censent: ita cl. ALBINVS de *ossibus* §. 244. dum maximis illis in pollice pedis obviis, flexorem pollicis pedis brevem, unigue adductorem, alteri abductorem eiusdem, inferi monuit, hunc illorum usum subiungit; *Itaque robur musculorum illorum augment, impediuntque, ne in statu comprimantur, simulque tendinem flexoris pollicis longi per medium intervallum suum tutum ab omni compressione ad priora deducunt.* Cel. BOERHAAVIUS in *Praelectionum* suarum a Cel. HALLERO editarum P. III. p. 473. generatim asserit, *huiusmodi etiam hypomochlia sunt ossa sesamoidea quælibet; & ab his ossiculis, si quando frequentia in flexoribus manus adfuerint, explicatur, quod aliqui homines, quorum graciles manus sunt, interim robustiores habeant, quam alii, multo torosioribus musculis præditi.* Quem usum uti non penitus in dubium vocamus, sed, sicubi illa reperiuntur, per accidens veluti ab illis præstari posse concedimus; ita tamen nulli dubitamus, eundem etiam finem his absentibus commode satis obtineri: adeoque hæc officula non inter organa ad functiones certas obeundas necessaria, sed inter partes supernumerarias, fortuito generatas, quæve adeo abesse pariter ac adesse sine functionis læsione queunt, referenda censemus. Quandoquidem ita provide corpus nostrum constructum novimus, ut partes necessariæ omni tempore atque constanti quadam figura præditæ præsto sint,

secus

secus ac de sesamoideis antea evicimus; quæ in iunioribus vix unquam, in senioribus varie conformata, incertoque numero reperiri notavimus.

§. XI.

Tanto magis in hac sententia nos confirmant alia quædam osficula extra articulos obvia, maximam tamen cum his similitudinem obtinentia, adeoque ad illustrationem illorum non parum facientia; quæ Cel. HALLERVS in Prælectionibus Bœrhavianis l. c. *non vera* ossa sesamoidea appellat, sed pro indurationibus tendinum agnoscit, qui ad osseos canales attriti callescant, hinc cartilaginei, deinde ossei fiant. Inter quæ frequentissima sunt, & ab omnibus fere autoribus, qui ceteroquin paucissima admittunt, memorantur, illa quæ in tendine peronæi postici, eo loco, ubi sub osse cuboide transit, in annosioribus satis magna reperiuntur; quorum similia, etsi magis inconstantia, aliis pariter in locis circa tarsum æque ac carpum subinde occurrunt. Ita præterita hyeme in cadavere fœminino in ossis navicularis latere inferiori atque interiori, ubi tendo tibialis postici transit, bina eiusmodi osficula notavimus, quorum alterum lentis maioris, alterum proxime adiacens, brevi forte cum illo coaliturum, minoris, magnitudinem referebat; uti & cl. KVLMVS in *Miscell. Phys. Med. Vratisl.* A. 1722. p. 698. exile eiusmodi osficulum in carpo supra os cotyloides se deprehendisse retulit. Imo si in quovis cadavere singula loca tendinosa & ligamentosa curatius lustrare vacaret, sæpius forte talia, nunc hoc nunc alio loco occursura credimus, quibus tamen

anxie

Ossa sesamina extra articulos sita.

anxie conquirendis nimis inhærere vix operæ preti-
 um videtur. Illa tamen silentio eo minus præter-
 mittenda videntur, quæ in condylis femorum sub-
 inde inveniuntur, quo magis de eisdem dissentien-
 tes fuere autores. Primus ea, quantum constat, VE-
 SALIUS l. I. c. 28. descripsit; *Bina in poplite occurren-
 tia ossicula, quæ duorum primorum pedum moventium
 musculorum, qui gastrocnemiorum nomine veniunt,
 innascuntur capitibus, mox in illorum ex femoris osse
 principio. Ossicula enim hæc lævi sua & lubrica super-
 ficie, qua extra musculorum substantiam prominent, e-
 latiore spectant sedem posterioris regionis inferiorum
 femoris capitum, quorum impetum illa solvunt & susti-
 nent: hoc privatim sibi vendicantia, quod musculorum
 exortibus, non vero, aliorum, fere omnium ossiculorum
 sesamo comparatorum modo, tendinibus innectantur.*
 Verum hanc VESALII descriptionem, qua tanquam
 sueta & ordinaria recensuit, acriter satis reprehendit
 EVSTACHIUS in *Exam. Ossium* p. 158. edit. Lin-
 den. dum, in hominibus, ait, adeo raro inveniuntur,
 ut non modo sæpius alterum nunc internum, nunc ex-
 ternum deficiat, verum etiam ut plurimum utrumque i-
 psorum desit: miraculum enim existimabo, si duo simul
 occurrent, & non mediocri diligentie adscribam, si
 post multorum cadaverum sectionem alterum illorum quis
 inveniatur; ideoque tantum abest, ut æquum sit eiusmodi
 ossicula inter hominis partes numerare, ut etiam liceat
 suspicari ea a Galeno consulto fuisse prætermissa. Quod
 cum aliis etiam accidisset, ut frustra in illa inquisi-
 verint, fere oblivioni data erant; hinc cel. HEISTER-
 RVS noster, qui cum cl. TREWIO illud in condylo
 exter-

externo aliquoties Altorfii invenerat, eius memori-
 am in *Ephemer. N. C. Cent. VI. Obs. 29.* addita figura re-
 novavit, cumque postea illud etiam in interno la-
 tere, licet priori minus, aliquoties reperisset, utrum-
 que in situ naturali *Compend. Anat. T. I. fig. 2.* delinea-
 ri curavit, ubi plura etiam not. 1. p. 48. P. II. ad hi-
 storiam illorum spectantia legi possunt. Ceterum
 non perpetua hæc esse inter recentiores Anatomicos
 etiam cl. MORGAGNI *Adversar. Anat. P. II. Animadv. 30.*
 profitetur; qui in nonnullis quidem cadaveribus, se
 alterum, & in uno nominatim internum insignis ma-
 gnitudinis, extrinsecus gibbum, qua vero contiguum
 femoris caput excipiebat concavum, reperisse me-
 morat, interim non minori fiducia confirmat, se
 tam certe scire quam quod certissime, in alio cada-
 vere, cuius sceletum summa diligentia paratum sit,
 ut multo minora officula sesamoidea invenirentur,
 ne unum quidem illorum in poplitibus fuisse. Hanc
 variationem cl. WINSLOW in tr. de musculis §. 483.
 a diversa subiectorum ætate, causisque ortum ho-
 rum officulorum accelerantibus, vel retardantibus,
 deducendam censet; utpote qui tendines gastrocne-
 miorum infra illorum exortum temporis tractu in-
 durari credit, ut primo cartilaginem, mox os sesa-
 mino simile referant, quæ vero induratio interdum
 tarde satis contingat, & nonnunquam in uno tendi-
 num citius observetur, quam in altero. Neque ab
 hac sententia alienus videtur, cel. HEISTERVS, qui
 obs. cit. in *Ephem. N. C.* illud imprimis in condylo
 externo frequentius repertum iri asserit, nisi quis sub-
 D iectum

iectum iuvenile tractet, in quibus ossa sesamoidea plerumque deficient. Denique & illa officula, quæ in Commercio litter. Norimberg. A. 1731. p. 33. a cl. SCHULTZIO ad vertebræ lumbaris primæ processum lateralem, eius lateri adhærentia, & peculiari sinulo insidentia, reperta esse memorantur, allegamus, ut in posterum, an illa quoque frequentius reperiantur, indagari possit; spondetur ibidem cl. Virum illius vertebræ iconem daturum, ut & officulorum figura & magnitudo, & verus eorum situs, cognosci possint, non tamen constat, hanc exactiorem descriptionem & delineationem a Viro cl. ad alios postea labores ab Anatomicis avvocato, atque nunc præmaturo fato litteris erepto, exhibitam fuisse.

§. XII.

*De ortu
& formatione
officuli
sesamoideorum.*

Sede, figura & reliquis varietatibus ossium sesamoideorum, tam circa articulos, quam extra eosdem obviatorum, expositis, facilius erit eorundem formationis expositio. Omnia circa tendines & ligamenta hæere, atque iisdem veluti implexa reperiri vidimus. Sollicite admodum natura articulis digitorum manus pedisque prospexit, ut non solum necessariam mobilitatem obtineant, & nihilominus debita firmitate inter se iungantur, sed & tendines, illis movendis servientes, commode ibidem inserantur, & ad loca destinata tuto deferantur. Hinc non solum singuli illorum articuli capsulari membrana cinguntur, atque ligamentis lateralibus crassis firmantur, sed & superioribus tendines extensorum, postquam ad hæc loca accesserunt

cesserunt

cefferunt, naturam duriorem & cartilagineam nacti, cum membrana capsulari intimius connascuntur, ut difficulter separari queant, inferius vero vaginæ, quibus tendines flexorum continentur, accedunt, quarum latera super ipsam iuncturam crassiora sunt, quam in locis reliquis. Praeterea membranae illae capsulares, notante cl. WEITBRECHTO in *Syndesmologia* §. 79. p. 288. in planta pedis circa articulationem phalangerum cum metatarso, ubi incurvis capitulorum processibus accubant, in notabilem crassitiem substantiæ durioris tenacis & compactæ excrescunt, quam non tam a natura ita generari, quam potius a pondere corporis, hanc partem, cui inter ambulandum insistimus, comprimente ita coagmentari censet; per quam soliditatem id obtineatur, ut tendines flexorum vaginam commodam & trochleæ speciem trans articulum nanciscantur. Idem etiam cl. WINSLOW in tract. *de ossibus recentibus* §. 233. & 235. observat, quod pars ligamentorum orbicularium inferior admodum crassa sit, & veluti substantia cartilaginea incrustata, quæ affixa basi phalangerum sub capite ossis vicini progrediatur, & temporis tractu indurata os sesamoideum referat. Nimirum inter orbicularia illa ligamenta circa omnes articulos occurrit liquor subviscidus & mucilaginosus, vel in peculiaribus glandulis, ibidem sitis, paratus, vel per poros membranarum transsudans, qui lubricando articulo destinatus est, nec absimilis illi in vaginis tendinum reperitur: hic liquor, uti iamtum spissioris consistentiæ, axungiae

fere ad instar est, dissipata parte tenuiore facile magis inspissari, sensimque consistentiam durioram obtinere poterit. Dum itaque plantæ pedis insistimus, atque terram duram & asperam ferimus, inter capitulum ossis atque illam in prelo veluti dententus colligitur liquor, ibidemque, quantum partium circumiacentium conditio patitur, diffunditur, atque sensim induratus ab illorum impressione figuram suam obtinet, unde superna parte, qua ossium capitula urgent, excavata, inferiore vero inæqualiter plana aut convexa sunt sesamoidea officula. Quod circa plantam pedis pressio terræ præstat, idem in manuum articulis corporum duriorum apprehensio indeque pendens attritus producet, qui inprimis in subiectis vitæ laboriosæ deditis admodum frequens & validus est. Neque vero aliqua horum, propterea quod reliquis citius & frequentius reperiuntur, ut in adulto corpore raro deficient, propterea e reliquorum numero eximenda videntur, uti illa quæ in pollicibus pedum deprehenduntur: si enim consideremus, quod præter partem posteriorem calcis potissimum ossi metatarsi pollicis & minimi digiti totus pes, & cum illo totius corporis moles, innitatur, non obscurum erit maximam hic præ ceteris fore, in diuturna inprimis statione, ligamentorum compressionem, hinc materiæ citissimam indurationem, quæ diversis in locis inchoata demum in unum eiusmodi frustum irregularis figuræ compingatur, prout §. IX. fusius ostendimus. Huc accedit tendinum, qui ad basin phalangerum abeunt, plu-
res-

resque concurrunt strictura, præter enim flexorem brevem ab uno latere adductor, ab altero abductor, hic inseruntur, qui in motibus pedum fortius adstricti partem substratam ligamenti tanto validius versus os incumbens urgent, intusque hærens fluidum condensant. Idem etiam circa pollicis manus ossa deprehendimus, qui in primis frequentissime nunc flecti, nunc ad reliquos digitos adduci, nunc ab iisdem abduci solent, adeoque perpetuo alternantibus hisce motibus subiectæ ligamentorum partes valide a tendinibus quassantur, horumque ossium generatio acceleratur. Imo in indice & auriculari frequentissime talia ossicula circa loca insertionis musculorum adductoris vel abductoris reperiri supra monuimus, non quod illorum insertioni atque motui intendendo serviant, qui his etiam absentibus æque feliciter succedit, sed quod citius colligendæ & indurandæ materiæ faveant; unde postea intumescente ibi a turgente materia ligamento, tendines illi super hæc ossa veluti trochleas ducti videntur. In primis hoc illustrare videntur, illa ossicula, quæ principio gastrocnemiorum inhærentia in senioribus deprehenduntur, utpote in quibus finis ille, qui alias circa insertiones tendinum allegatur, neutiquam obrinere potest; sed dum hi musculi, quoties stamus, aut etiam ambulamus, valide tensi ad condylos ossis femoris applicantur, indurandæ materiæ favent, & temporis tractu illam in os compingunt.

§. XIII.

Conclusio.

Prompta nunc erit ad varia, quæ antea obscura admodum videbantur, responsio; cur ossa sesamoidea in tenera ætate vix ulla, sed in adulta demum & virili reperiantur? cur citius illa tardiusve in diversis subiectis appareant? cur certus illorum numerus definiri nequeat? cur etiam figura illorum & magnitudo adeo variet? Siquidem in iunioribus cum maior omnium partium mollities, & humorum tenuitas, tum remissius partium musculosarum exercitium, liberum humoribus circa tendines & ligamenta affusis circuitum concedit; crescente vero annorum, numero fibris magis densatis, omnibusque partibus in perpetua actione versantibus, prima horum stamina colliguntur: quo magis vero ipsa subiectorum temperies, partiumque viscidarum & terrestrium in humoribus abundantia favet, quæ ætate virili ad senium vergente maxima esse solet, unde in aliis etiam partibus mollibus maior induratio observatur, quo magis etiam vitæ genus actuosum, hinc fortior partium ad se invicem attritus, & pressio accedit, eo pluribus in locis occurrent, eove citius perficientur, & ad osseam duritiem accedent. Habes nunc B. L. quæ nobis circa ossa sesamoidea Auctorum lectione, ac propria observatione comperita, & de causis phænomenorum meditando verisimilia visa sunt; quæ, si minus adhuc omni ex parte perfecta fuerint, amicis monitis adiuti, aut ulteriori indagine largius instructi, supplere studebimus.

XIII
) o (

PRAENOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

RESPONDENTI SVO

S. P. D.

PRAESES.

Abunde, ni fallor, in dissertatione nostra, Ossium Samoideorum exemplo, demonstratum est, quam sollicita, accurata, saepiusque repetita indagine opus sit, antequam aliquid pro vero, perpetuo atque naturali venditare, indeque certos usus derivare tuto liceat. Ast non in iis tantum, quae ad theoriam spectant, hac cautione opus est, sed ubi ad ipsum artis salutaris exercitium accedimus, tanto magis eadem nobis observanda sunt, quo majori cum periculo, hic erratur. Non enim dubia solum atque intricata saepe occurrunt in egrotantibus phaenomena, quae in determinando morbo ambigere nos jubent, sed multo plerumque obscurior & per ambages demum elicienda latet morborum causa, quam tamen nisi exacte cognitam habueris, nunquam idoneum exhibere poteris remedium; in quo seligendo atque genio morbi accommodando plures denuo offendimus difficultates, quae non nisi omnibus undique probe pensitatis ad faciendam medelam nos accedere sinunt, si rationalis nomen medici mereri, nostraeque curae creditorum saluti prospicere volumus. Ardua nimis atque molesta quidem multis haec discenda exercendaque artis ratio videtur, hinc obscura quapiam & confusa morbi causarumque ejus idea, quam ex aliquibus phaenomenis obiter

biter

biter observatis sibi formarunt, contenti, protinus ad ingerenda pharmaca festinant, de quorum effectis atque operandi modo non minus certi, nuda & temeraria empiria duce, cæca fortuna, audaces conatus subinde juvante, comite, in aliorum salutem grassantur. Sed quo pluribus sub initium difficultatibus septa videtur, quam cordatis medicis ineundam esse monuimus, via, eo præstantiores inde fructus colligere, & perspecto intimius morbi genio, causarumque nexu, majori cum certitudine, feliciorique successu opem aliis medicam præstare poterimus, quod insigni animum voluptate, etsi ignaris prorsus incognita, recreat, omnesque labores antea superatos abunde compensat. Iisdem, TE quoque VIR EXPERIENTISSIME animi sensis imbutum esse, atque ad solidam & firmis principiis nixam scientiam aspirare, ex illo tempore, quo apud nos versatus es, perspexi, cumque iis, quæ B. SCHULTZIO, quanti nominis viro, duce, Hale jecerat, fundamentis hic solidum atque undique sibi respondens systema superstruere laboraveris, imo acquisitam scientiam in aliorum commoda applicare non infelici successu ceperis, non possum non de absoluto feliciter studiorum cursu ex animo gratulari. Aspiret Summum Numen conatibus TVIS, quos in egrotantium salutem suscipies, & laborum impigre exantlatorum largissima TIBI præmia concedat, ut patrie TIBI TVISQUE de iisdem gratulari, & de digno artis filio gaudere possimus. Vale VIR EXPERIENTISSIME, & quod TIBI ingenue spondeo, nobis quoque favere perge.

Scrib. in Acad. Julia Carolina IV. Kal. Jan.

A. MDCCXLVII.

